


## UMBRA MALI PRINCIPIS.



*Exitiale malum, fera dum Nux explicat umbram,  
Ager in afflicto stipite languet ager.  
Aetherea Reges pariter virtute carentes,  
Subiectis populis, ut Nucis umbra nocent.*

## COMMENTARIUS.

**I** Tilitates, bonosque boni, & Sapientis Regis effectus, quibus suum populum beat, laetificat, & amplificat, ut in proximo Emblemate vidimus, malus, insipiens, & stultus ex adverso, sua militia, & insipientia corrumpit, & perdit, & quod ille stabili, hic pessumdat. Quam doctrinam ex Ecclesiastico (a) discere possumus, ubi unus alteri his contraponitur verbis: *Judex Sapiens judicabit populum suum, & Principatus sensati stabilis erit. Rex insipiens perdet populum suum, & civitates inhabitabuntur per sensum Potentium.* Et idem non minus aperte in Proverbiis (b) docemur, ubi Salomon inquit: *In multiplicatione justorum laetabitur vulgus, cum impij sumpserint Principatum, gemet populus. Rex justus erigit terram: vir avarus destruit eam.* Quem etiam repetitis verbis *Ruinam Populorum* Isaia (c) appellat, cujus verba latius expendens Noster Pineda (d) recte concludit, quod quemadmodum Sapientia Principis, Regni stabilitas, & basis existit, ita Ruina Regni ex Principis stultitia contingit.

**2** Eademque contrarietas, & repugnantia in utriusque electione considerari potest; nam Boni Reges, ut supra tetigimus, ut exitium bonum ac donum concedi à Deo populis solent, mali autem in poenam & supplicium gravissimorum scelerum permittuntur, juxta illud Jobi (e): *Facit Deus regnare hypocritam propter iniquitatem populi;* ubi subintelligitur, *Puniendam, vel vindicandam,* ut Hugo Laurentius, & Archidiaconus (f) animadvertunt, celebrem illum Textum Divi Hieronymi interpretantes, ubi iudices, & Principes iniquos, non per Dei arbitrium dari, nos docet, sed prout nostra merita deprecant, & veluti per extortam à Deo voluntatem, non spontaneam, ut in Saule contigit, & in Nembroth, de quo in Genesi legitur, robustum venatorem coram Domino fuisse, quod interpretatur, id est, *Hominum oppressor permittente Domino,* ut Ego (g) alibi dixi, & plurimum Sanctorum Patrum auctoritatibus comprobavi.

**3** Quo & respiciens Anterus (h) Papa: *Ex merito* (inquit) *plebis, nonnumquam Episcopi depravantur, quatenus proclivius cadant, qui sequuntur. Capite languescente, cetera corporis membra*

(a) Eccles. 10. 1. &amp; 3. Sap. 6. 12. 13. 26.

(b) Prover. 29. 2. &amp; 4.

(c) Isai. 3. 6.

(d) Pined. de reb. Salom. pagin. 112. column. 2.

(e) Job cap. 34.

(f) Hug. Laurent. &amp; Archid. in capit. coact. 18. quest. 1.

(g) Cap. bis itaque 6. dist. Ego 1. tom. lib. 2. cap. 11. num. 17.

(h) Antet. epist. unic. in cap. ex merito 6. quest. 1.

*bra inficiuntur.* Cui similis est Divus Gregorius in Moralibus, ab Antonio Gorrutio (i) relatus, & magis ad rem nostram faciens Divus Isidorus (k), sic inquit: *Reges quando boni sunt numeris est Dei, quando vero mali sceleris est populi.* Et Theodoretus (l) dum ait: *Sicut civitates & Republica justitiae ministros, & carnifices alunt, quorum opera parricidas, latrones, & id genus facinorosos, justissimo afficiunt supplicio: non quod laudent, quae sibi carnifices peragenda mania desumpserunt, sed tamen ad necessarios usus eorum ministeria tolerant: ita praepotens Deus patitur Tyrannos esse, seu quosdam carnifices, ut per eos ab impijs, & sceleratis hominibus poenas exigat. Quos tamen non multo post, gravissimis addicat supplicijs, quia non ut Dei Ministri, sed suae ipsius malignitati servientes, ejuscemodi damna hominibus intulerunt.*

**4** Atque his quidem consonant alia, quae, ultra Sacrorum librorum in doctis locis Expositores, late & doctè Joannes Filesacus (m), & Philippus Camerarius (n) scribant. Nos autem, ut noxiam hanc & exitialem populis influentiam, malorum, & Tyrannorum Regum ac Principum insinuemus, praesens Emblemata nudum, quo eosdem Nucis arbori similes facimus, cujus umbra secundum Plinium (o), Theophrastum (p), & alios (q), ita malignantis naturae est, ut humano capiti gravis admodum sit, & omnia, quae subtus eam seruntur, plantanturque, vitiet ac perdat, nec succrescere, virere, florereve patitur. Quod in causa fuit (ut probati linguae Latinae Auctores (r) advertunt) ut à *Nocendo* Nucis nomen imponeretur, necnon, ut Veteres, hanc arborem procul à satis omnibus eliminarent, ne eis maciem, perniciemque causaret, ut disertè, praeter alios, ostendit Ovidius (s), dum dixit:

*Me, sata ne ledam, quoniam sata ledere dicor,  
Imus in extrema margine fundus habet.*

**5** Et eadem ratione Sancti Patres, & alii graves Auctores, impios, crudeles Tyrannosvè Principes ac Praelatos, qui, quos protegere deberent, destruant, vel injuriam afficiunt, nuci & alijs arboribus, quae virulentam habent umbram, merito comparare solent, ut *Pater Joannes de Pina* (t) animadvertit, addens virgam illam vigilantem, quam se vidisse Jeremias (u) refert, & illam aliam Aaronis ex nuce fuisse. Sed apertius ceteris hac comparatione usus fuit D. Petrus (x) Chrysologus, sic inquit: *Sicuti in secunda arbor, si fuerit in vinea, dum fundit mortiferam subjectis vitibus umbram, inimica non solum sibi, sed etiam palmitibus fit secunda; ita etiam homo deses, ignavus, si praesit populis, non solum sibi noxius, sed multis, dum sequentes se suo vitiat, & perdit exemplo.*

**6** Et plane sic se res habet, ut semper, vel hac de causa, quod peccata Principum, tamquam mala umbra subditis nocent, graviora, severiusque punienda, quam privatorum, ab omnibus reputentur, ut *praclare apud Xenophontem* (y) monuit *Agesilaus* privatorum hominum errata modestè ferens, Principum vero maxima existimans, judicansque ab illis pauca, ab his mala multa constituit. Quemadmodum enim cum nauta errat, modicum affert navigantibus nocumentum: cum vero ipse Gubernator, totius efficit navigii perniciem; sic & in civitatibus, si quis ex subditis peccet, non tam Republicam, quam seipsum laedit; si vero ipse Princeps, universae infert Republicae detrimentum.

**7** Philippus quoque Cominaeus (z) multus est in damnis, quae excessus & vitia Principum afferunt, deplorandis, ea praesertim de causa, quod nullus sit, qui de eis quaestionem habeat, vel accusationem instituat, poenasve irrogare possit, quod secus in privatis contingit. Statim tamen haec verba subjungit; quae ob sui pondus transcribere volui: *Certè querimoniae, & lacrymae miserorum hominum, quos crudeliter vexarunt, item viduarum, & pupillorum gemitus atque suspiria, quos parentibus, atque maritis inhumanè spoliaverunt, breviter eorum, quos afflixerunt, & fortunis omnibus denudarunt, lamentationes, atque plangor, erunt accusationis loco, quam illi coram Supremo Dei Tribunali sistent. Qui magnitudine scelerum offensus, non semper concedit diuturniorem impunitatem, sed illos aliquando verberat praesentibus poenis, ita quidem evidentè & clarè, ut dubitari non possit, ipsum esse justissimum impietatis nostrae ultorem, &c.* Et in alio loco (a) sic habet: *Nulla igitur majori clade populum Deus affligere potest, quam si Principem, & praeficiat stolidus & imperitum: neque enim dici potest, quam multa hinc oriuntur incommoda, &c.*

**8** Sed de his alius se offert opportunior dicendi locus, nunc ut malam mali Principis umbram

(i) Gorrut. de provid. Dei, lib. 6. cap. 7.

(k) D. Isidor. de sum. bon. lib. 3. cap. 48.

(l) Theodor. lib. 6. de Car. Graec. affect.

(m) Filesac. 1. select. tit. 9. de Tyrann. ex pag. 225. &amp; 525.

(n) Idem. Polit. cap. fin.

(o) Camer. subces. lib. 3. ex pag. 71.

(p) Plin. lib. 17. cap. 12.

(q) Theophr. lib. 2. cap. 7. &amp; lib. 3. cap. 8.

(r) Varro lib. 1. Colum. lib. 5. cap. 10.

(s) Rob. Steph. Calep. Funger. &amp; alii verb. Nux.

(t) Ovid. in Eleg. de nuce.

(u) Pina in Eccles. cap. 10. verb. 3. Etbolog. 113. pag.

(v) 525.

(w) Jerem. 1.

(x) D. Chrysolog. apud Pinaam sup.

(y) Xenoph. in Agesil.

(z) Cominaeus lib. 10. ad finem.

(a) Idem Comin. lib. 3. pag. 373.

bram cognoscamus satis erit verba Sacrae Scripturae (b) referre, quibus Samuel illam describit, sic inquit: *Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis; facietque sibi Equites, & Praecursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos, & Centuriones, & Aratores agrorum suorum, messores segetum, & fabros armorum, & currum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros & vineas, & vineta optima tollet, & dabit servis suis: sed & segetes vestras, & vinearum redditus addecimabit, ut det Eumuchis, & famulis suis. Servos etiam vestros, & ancillas, & juvenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoque vestros addecimabit: vosque eritis ei servi, & clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis; & non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiistis vobis Regem.*

9 Quo in loco, licet quidem male feriatus Scriptor (c), proprium veri Regis typum, & jus contineri probare contendat, certius longè est, non nisi de Tyranno, & iniquo tractari, ejusque mores, & pravas actiones, & exactiones à Samuele describi, & Israelitas redarguente, quòd ab eo sibi Regem dari petiissent; qui more gentium, & nationum sibi imperaret. Nam ubi mores, & proprietates Boni & Justi Principis, & non à populo, sed à Deo electi, eadem Scriptura in Deuteronomio (d) depingit, praedictis in omnibus contrariatur. Talemque esse debere inquit: *Ut pupulum non gravet, sed sublevet, neque uxores plurimas, neque argenti & auri immensa pondera habeat, sed legem Dei semper secum portet, atque custodiat, & discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & ceremonias ejus, quae in lege praecipita sunt. Neque elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus super Israel.*

10 Quam veriore sententiam, post plures alios, Petrus Gregorius (e), Magister Marquez (f) Basilius Pontius (g), & alii plures bene defendunt, quas Ego (h) alibi sequor. Eique favet in Samuelis descriptione omnia contineri, quae in descriptione Tyranni Aristoteles, Plutarchus, & alii Auctores passim tradere solent, quorum copiosam nomenclaturam etiam apud Me (i) videre licebit. Nimirum quòd omnia ad se attrahere cupiat, & alienis invidet, & inhiet, cum tamen contra is, qui justè rectèque dominatur, magis subditorum commodis, quàm propriis studeat, ut in superioribus diximus.

11 Unde lex nostra (k) Juris Septemparti, Tyranni nomine donat, non tantum eum, qui Regni Solum violenter, & illegitimè occupat, verum & illum, qui legitimè occupatum, malè & injustè regit & moderatur, & Regis à Samuele effigati proprietates, aut verius perversitates observat; sic enim in ultima sui parte concludit: *Otrosi decimos, que maguer alguno oviese ganado Señorio del Reino, por alguna de las dichas razones, que diximos en la lei antes de esta, que si él usase mal de su poderio en las maneras que de suso diximos en esta lei, que le pueden decir las gentes Tirano, é tomarle el Señorio, que era derecho, en Torticero, asi como dixo Aristoteles (l) en el libro que fabla del Regimiento de las Ciudades, é de los Reinos.*

12 Et hac propter meritò illa Thomae Mori (m) differentia inter Tyrannum, & Bonum Principem celebratur:

Legitimus immanissimus  
Rex hoc Tyrannis interest;  
Servos Tyrannus, quos regit;  
Rex, liberos putat suos.

13 Et Claudianus (n), dum pium & justum Principem instituit, in illud elegans carmen prorupit.

Tu civem, patremque geras, tu Consule cunctis,  
Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota:  
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse licebit  
Occurrat, mentemque domet respectus honesti, &c.

Cum verò illum describere voluit, qui injustè, & tyrannicè dominatur, nihil ex illis omisisse videtur, quae in Samuelis descriptione panduntur. Sic etenim inquit, de Gildone Tyranno (o), sub Africae prosopopeja agens, qui in eadem provincia rebellarat, & Mascezelis fratris sui filios necaverat:

— Pars tertia mundi  
Unius praedonis ager. Distantibus idem

In-

(b) Reg. lib. 1. cap. 18.

(c) Waremund. in tract. de faderib. lib. 1. ex cap. 1.

(d) Deut. 17. 14. &amp; seq.

(e) Petr. Greg. de reb. lib. 7. cap. 19.

(f) Marq. in Gubern. Christ. pag. 87.

(g) Pontius in relect. 1. de mut. man.

(h) Ego 1. tom. lib. 8. cap. 8. num. 23.

(i) Ego d. 1. tom. lib. 2. cap. 12. num. 9.

(k) L. 10. tit. 1. part. 2.

(l) Arist. 8. Ethic. cap. 10. D. Thom. de regim. Princ. lib. 1. cap. 1.

(m) Tom. Morus inter sua carmina, pag. mibi. 212.

(n) Claud. in 4. Cons. Honorii.

(o) Idem de bello Gildonico. Oros. lib. 7. cap. 56. Didac.

Inter se vitius cinctus. Quodcumque profunda  
Traxit avaritia, luxu peiore refundit.  
Instat terribilis visis, morientibus haeres,  
Virginibus raptor, thalamis obscenis adulter.  
Nulla quies: oritur, praeda cessante, libido,  
Dirivibusque dies, & nox metuenda maritis.  
Quisquis vel locuples, pulchra vel conjugè notus,  
Crimine pulsatur falso: si crimina desunt,  
Accitus convèsa perit. Mors nulla refugit  
Artificem. Varios succus spumasque requirit  
Serpentum virides, & adhuc ignota nocercis  
Germina. Si quisquam vultu praesentia damnet  
Liberiusve gemat, dapibus crudelis in ipsis  
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.  
Fixus quisque thoro tacita formidine libat  
Carnifices epulas, incertaque pocula pallens  
Haurit, & intentos capiti circumspicit enses.  
Splendet Tartareo furialis mensa paratu,  
Cede madens, atrox gladio, suspecta veneno.  
Ut vino calefacta Venus, tum saevior ardet  
Luxuries; mixtis redolent unguenta Coronis,  
Crintos inter fanulos, pubemque canoram  
Orbatas jubet ire murus, nuperque peremptis  
Arridere viris. Phalarim tormentaque flammæ  
Profuit, & Simili mugitus ferre juveni,  
Quam tales audire choros. Proturbat avita  
Quemque domo, veteres detrudit rure colonos,  
Exciliis dispersa feror, &c.

His carminibus alia similia, & relatu non indigna, Regis mali, & insipientis paradigma describens; contexit Matthæus Agricola, quae proligitatis vitandae gratia hic inserere supersedeo, & ea Lector, si velit, apud Beyerlinch. (p) legere poterit.

14 Sed quoniam nullus latius meliusque hanc Tyrannorum, & malorum Principum umbram, de qua agimus, & nocivos ejus effectus expressit, quam Julius Pollux (q), ex re erit ejus verba subnectere, in quibus, postquam virtutes, & epitheta connumeravit, quibus bonus Princeps laudari posset, quorum in praecedenti Emblemate memini, ad ea transiens, propter quae malus vituperari possit, & debeat, sic habet: *Malum Principem vituperabis ad hunc modum: Tyrannicus, crudelis, efferus, violentus, occupator alieni, avidus pecuniarum; & quod verbum est apud Platonem, pecuniarum cupiens, rapax, & quod dixit Homerus, populi devorator: superbus, elatus, difficilis aditu, incommodus ad conveniendum, durus ad congressum, incomis ad colloquium, malè iracundus, irritabilis, terribilis, turbulentus, voluptatum servus, intemperans, immoderatus, inconsideratus, inhumanus, injustus, inconsultus, iniquus, impius, mente carens, levis, inconsans, & qui facile decipiatur, malè facili, immitis, affectibus deditus, incorregibilis, contumeliosus, bellorum actor, gravis, molestus, incoercibilis, intolerabilis.*

15 Ad quae quidem verba omnes Tyranni, & mali Principes definitiones reduci possunt, quae varii Auctores (r) latè proponunt, & praesertim Stephanus Junius Brutus qui distincta officia, & proprietates Regum, & Tyrannorum peculiari commentatione prosequitur. Quod si Polluci, homini Ethnico, tam apertam, & sinceram veritatem apud Commodum Imperatorem, Ethnicum etiam, & vitiosissimum, palam profiteri licuit, cur non, & Christianis Scriptoribus, & cum Christianis Principibus Sermonem habentibus, idem licere debebit? Eisdemque ob oculos, utramque bonorum, & malorum Regum effigiem (sicuti Nos facimus) ponere, ut videant, quae sequi, quae fugere debeant, & ex bonorum imitatione aeternam sibi famam, ac gloriam, ex malorum perpetuum dedecus & poenas manere, quas Tragicus (s) eis comminatur in loco, cujus supra (t) in fine Emblematis XVI. retulimus.

EM-

lib. 13. Blond. lib. 1. Decad. 1.

(p) Beyerl. in Theatro verb. Rex, pag. 335. E.

(q) Jul. Poll. in Onom.

(r) Poliath. &amp; Theatrum verb. Tyrannus Canonh. in

Aphor. 1. tom. ex pag. 801. ubi prosequitur differentias,

Regis Boni, &amp; Tyranni, &amp; quae damna hie, quae commoda ille Reip. generet.

(s) Senec. in Octav.

(t) Ego sup. Emblem. XVI.

EMBLEMA XXIII.  
REGUM ERROR, POPULIS EXITIALIS.



Errone prima cernite lampadis,  
Dum luminosam deserit orbitam,  
Mæstos & afflictos timere  
Jam validam populos ruinam.  
Est error alti quàm malè Principis  
Infestus actis gentibus, illicet  
Cernuntur in præceps labare,  
Dum Domini radii laborant.

## COMMENTARIUS.

**1** Uo magis cognosci queat, quàm sit insipiens, malus, vitiosusvè Princeps, suis populis exitialis, superiori Emblemati præsens, velut auctarium subjicio, ex Solis Eclipsim patientis imagine, & similitudine sumptum. Quàm licet jam alii præoccupasse videantur, eò tamen respexerunt, ut Principes vel ex eò à vitiis cohibeant, quia omnium censuræ patent, & tunc præcipuè cum delinquant, plurimos sui habent spectatores, ut in Sole etiam per Eclipsim obscurato contingit, ut Plutarchus in moralibus, & Erasmus in suis similibus tradunt.

**2** Nos verò in id tendimus, ut agnoscat, quod quemadmodum tenuis hic, & inculpatus, ac sæpè momentaneus Solis defectus, plures in rebus humanis perturbationes, bella, pestes, Regum Regnorumque miserabiles casus, & alias calamitates, occulto sensu naturæ præsignare, & per plures etiam annos influere solet, ut Plinius (b), Seneca (c), Virgilius (d), Manilius, & alii (e)

(a) Saaved. Empr. 13. pag. 85.  
(b) Plin. lib. 2. cap. 20. & 30.

(c) Senec. lib. 5. de benef. cap. 6.  
(d) Virg. 1. Georg.

(e) passim Auctores (hujus rei causas, & exempla tradentes) ostendunt; ita Principum vitia, & excessus suis Regnis, imò & in universum reliquis aliis, maximum nocumentum, & exitium protendere, generareque solent.

**3** Quam similitudinem, à Plutarcho (f) prius rectè perpensam, Erasmus (g), (eò non relato) inter suas, his verbis scripsit: *Uti Solis defectus magnam mortalium perniciem trahit: ita Regis error, etiam levis, magnam tamen in rebus humanis gignit perturbationem.* Idemque (b) ipsum alibi latius exposuit, sic inquit: *Quemadmodum corpora celestia, si vel paululum tumultuentur, aut à recto cursu divarient, non sine gravi rerum humanarum pernicie id faciunt: id quod palam videmus in defectibus Solis, ac Lunæ. Ita summi Principes, si quid aberrent ab honesto, aut si quid ambitione, ira, stultitiavè peccent, id protinus ingenti totius orbis malo faciunt. Nec enim ulla unquam eclipsis sic afflixit hominum genus, ut Julii Pontificis, & Ludovici Gallorum Regis dessidium, quòd nuper & vidimus, & flevimus. Et iterum: Nullus Cometes, nulla vis fatalis sic afficit res mortalium, ut vita Principis rapit ac transformat mores, & animos civium.*

**4** Quam considerationem præcoulis habuisse videtur Cornelius Tacitus (h), dum Tiberium inducit filiis suis dicentem: *Ita nati estis, ut bona, malaque vestra ad Rempublicam pertineant.* Et Plinius Junior (k), dum signatissimè dixit: *Utque in corporibus, sic ex Imperio, gravissimus est morbus, qui à capite diffunditur.* Quod non tantum propter exemplum, verum & propter damna, quæ Respublica ex delictis Principum sentit, dictum mihi videtur. Etenim licet Divini (l), & humani (m) juris regulæ doceant, ut peccata suos teneant Auctores, & nemo alterius odio prægravetur, sæpè sæpius tamen contingit, ut ob Regum excessus Deus, justis suis judiciis, etiam populos puniat, ut multis Sacræ Scripturæ locis ostendit Olisiponensis Mendoza (n), in illo tandem Ozia desinens, ob cujus in peccatis usque ad mortem perseverantiam, Deus, toto tempore, quo ille Regnum tenuit, populum Israëliticum Prophetarum visionibus, & revelationibus, aliisque cælestibus mysteriis, carere voluit, ut D. Chrysostomus (o), & Hieronymus (p) tradunt.

**5** Quod egregiè declarans Justinus Martyr (q), hac ratione ab injusto defendit, quòd sicut homo ex anima & corpore constituitur, ita Regnum ex Rege, & eis, qui reguntur, coagmentatur; & quemadmodum si homo manibus peccatum committens, tergo penas pendat, non iniquè, qui eum animadvertit, agit: ita non injustè Deus facit, Principum delicta, populi pœna coercens.

**6** De quo & extat in Sacris Literis (r) aliud memorabile exemplum gravissimæ pestis, qua triduo septuaginta millia virorum perierunt, ob id quòd David contra Mosaicæ legis edictum, Joab Ducem populum Israel censere jussisset. Nec cessavit pestis, donec David Rex, delicti sibi conscius, constructo in area Jebusæi altari, cilicium indutus, pronus cadens in terram, simplex culpam deprecaretur. Ob scelera quoque Achab Regis & Jezabel, Israëlitaë trienniali fame afflictati sunt, & ab Elia Propheta audire meruerunt (s): *Non ego is sum, qui conturbo Israel, sed Tu, & domus patris tui.*

**7** Et, si sacris licet miscere profana, similiter ob Agamemnonis (t) culpam, solvit pœnas universus Græcorum exercitus, cum Apollo intulit ei pestem insignem, propter filiam sacerdotis Chryseæ ab Rege violatam. Unde veluti in Proverbium transiit illud Hesiodi (u):

*Principis injusti gens omnis crimina præstat.*

Sive ut alii vertunt:

*Ut Populus luat penas ob scelera Regum.*

Qui & alibi dixit:

*Sæpè numero tota civitas luit noxam hominis mali,  
Qui peccat, & perniciem in omnes machinatur.*

**8** Quem sequutus Horatius (x), belli Trojani damna ob raptum Helenæ cum Homero describens, & qualiter propter discordias, & scelera Regum, tot Græci perierint, & tandem totum Ilium sive Troja funditus exciderit, illud celebratissimum carmen effudit, quod etiam inter Ada-

(e) Manil. 1. Astron. D. Ambros. & alii in Theat. verb. gin. 147.  
Eclipsis.

(f) Plutare. in Apoph.

(g) Erasm. in similib. fol. mibi 58.

(h) Idem Erasm. in lib. de Regis institut.

(i) Tacit. 4. Annal. cap. 8.

(k) Plin. Junior. lib. 4. ep. 22. in fine.

(l) Ezech. 18. Exod. 23.

(m) L. Lantimus, C. de pœn. cap. non debet, de regul. jur. in 6. cum aliis.

(n) Mend. in Proem. ad lib. Reg. ann. 3. sect. 7. pa-

(o) D. Chrysostom. de verb. Itai. hom. 4.

(p) Hieron. ad Damasc. epist. 142.

(q) Just. Mart. quest. 138. ad Orbod.

(r) 2. Reg. 24. Paralip. Joseph. 7. antiq. 13. Reg. 4.

cap. 2.

(s) Regum 3. cap. 18.

(t) Homer. in Iliad.

(u) Hesiod. in Ergis.

(x) Horat. lib. 1. epist. 2. ad Lolium.

Adagia (y) referuntur:

Quidquid delirant Reges, plebuntur Achivi.

Quorum etiam tota classis, eodem Homero (z) tradente, naufragio periit:

Unius obnoxam, &amp; furias Ajaçis Oilei.

9 Et Pausanias (a) tradit, idem Miletis contigisse, ob libidinem, & fœdos amores Histie Milesii, & Lidonibus, ob Philomeli Principis sui Delphicum sacrilegium. Thebani quoque cum multis malis affligerentur, & Creon eorum, Rex Tiresiam de causa consuleret, hoc apud Euripidem (b) responsum legimus accepisse:

Ægrotat hæc terra dudum, ò Creon, ex quo

Creavi t' liberos Lajus matris Diis,

Maritumque creavit matri infelicem Oedipum.

10 Flagitiosa item vita Commodi Imperatoris, Dion (c) Cassius totam Romanam urbem penas tulisse, scriptum reliquit. Nam Capitolium fulmine ictum, una cum egregia Bibliotheca, majorum cura parata, concrematum est: Aedes quoque in proximo sitæ, eandem calamitatem sensere. Exortum est deinde aliud incendium, quo & aedes Vestæ, & Palatium, bonaque pars urbis exusta est, & solo æquata.

11 Et Nicephorus (d) memorat, quod cum Julianus Apostata rerum potiretur, novis, & horrendis prodigiis totus orbis fuit diversis in locis exagitatus, terræmotibus, eluvionibus, exustionibus, monstris, ita ut ipsa rerum natura talem bellum abominari videretur.

12 Sed quid amplius in exemplis ejusmodi referendis immoror, cum eorum pleni sint libri, & Nostra Hispania illud Witizæ & Rudorici Regum, præter alia suppeditet, ob quorum scelera, Divinam Majestatem ad vindictam graviter provocantia, terram iniquitate repletam, & tandem à Mauris vastatam, & occupatam, Rodericus Toletanus (e), & alii passim Scriptores (f) referunt, & lachrymantur.

13 Quinimò & nostrum istud, quod hæc scribimus, tempus, satis (heu) idem ostendit, ejusdem Hispaniæ, & Galliæ florentibus antea populis, misere vastatis, conflictatis, & in solitudinem ferè redactis, ob supervacua, & ambitiosa bella, quæ Reges, qui se Christianos vocant, à malis Consiliariis seducti, vel verius obsessi, absque ulla justa, vel fructuosa, causa attrahere, ac movere voluerunt. Quorum damna jam vel ipsi iisdem Galli (g) agnoscunt, deflent, & execrantur, & Nos alio forsitan loco (h) commodius recensebimus.

14 Interim, ad rem de qua agimus, Horatium adduxisse contenti, qui hanc punitionem populorum propter Majorum delicta, licet ipsi eam non mereantur, his verbis exposuit:

Delicta majorum immeritis læs,

Romane, donec templa refeceris,

Ædesque labantes Deorum, &amp;

Fæda nigro simulacra fumo, &amp;c.

15 Ubi diligens ejus Scholiastes Gualterus Chabotius in disquirenda similium penarum justificatione vexatur, cum, ut jam tetigi, peccata suos debeant tenere Auctores, nec ulterius progredi supplicium, quam reperiatur commissum (i). Quæ difficultas aded Theognidem presit, ut vix ab ea se expedire poterit. Sed tandem benè idem Chabotius resolvit, hoc ex Divino judicio pendere, cujus inscrutabiles sensus ac motus humanum comprehendere nequit. Præsertim cum nunquam ita soli peccent, deliquantvè Reges, quin plures ex suis, vel in eisdem, vel in aliis peccatis complices habeant, & saltim propter socordiam puniri non possint, vel ex sola Dei voluntate, apud quem (quod est multò admirandum magis) nec infans quidem unius diei immunis ac purus dici potest; neque injustitiæ imputari, ut in libro Sapientiæ (k) docemur: Si perierint nationes, quas ipse fecit, ubi rectè addit pius & eruditus Pater Joannes Lorinus (l), cujus etiam alibi (m) memini, Posse justè Deum gentes, quas ipse fecit, perdere cum mereantur: posse id ipsum quoque, licet nulla præcederent demerita, vel hoc nomine duntaxat, quia dominium absolutum habet. Quibus rationibus, si illam, quam su-

(y) Erasm. in Adag. pag. 730.

(z) Homer. in Iliad.

(a) Pausan. in Phoc.

(b) Eurip. in Phœnissis.

(c) Dion. in Commod.

(d) Nicephor. lib. 10. cap. 35. &amp; 37.

(e) Roder. lib. 3. cap. 16.

(f) Marian. de rebus Hispan.

(g) Extat de hoc liber satis elegans, cui titulus: Francia. luctuosa.

(h) Infr. Emblem. 90.

(i) L. crimen; D. de pan. cum aliis supra relatis.

(k) Sapient. 12. 12.

(l) Lorin. d. loco Sap.

(m) Ego 1. tom. de Ind. jur. lib. 2. capit. 2. numer. 29.

præ ex Justino Martyre adduxi, conjungas, satis Theognidis querelæ factum esse videtur.

16 Porro, quod Reges in hoc Emblemate Soli similis fecerimus, probari, illustrarique satis potest, ex his, quæ alio jam loco (n) tradidimus, & noster Pineda notat in illud Job (o), quo se summo manè egredi dixit, ad judicandum populum in portis civitatis, inquiens, & probans Principes Solis instar suis populis esse, atque esse debere. Quod & expressius docuit Plutarchus (p), dum inquit: Ut Deus in cælo pulcherrimum ac jucundissimum simulacrum constituit Solem: sic in Republica Principem, qui prudentia, justitia, benignitate se erga omnes representat. Et Agapetus Diaconus, qui similiter ait; quod sicut Solis profectò partes sunt, illustrare radiis orbem: Principum ita virtus est, egenorum misereri. Porro bis clarior est Imperator, qui pius est, ille namque cedit succedenti noxi. Hic autem rapacitati pravorum non concedit indulgere quicquam, sed lumine veritatis iniquitatis occulta coarguit.


17 Et ad has pestes, aliaque damna, quæ vitiosæ, & errantes Principes suis populis, ut Sol Eclipsim patiens, inferre solent, pertinet etiam illud, quod Philiscus, prout Ælianus (q) refert, ad Alexandrum aliquando dixisse narratur: Ad gloriam incumbere, verum ea conditione ne sis pestis, vel magnus aliquis morbus, sed pax & suavitas. Quod, eodem Æliano docente, perinde fuit, ac si diceret, per vim & sævitiam expugnare civitates, populos excindere, pestilentiam esse; sanitatis verò, salutisque subditorum habere rationem, ea pacis, & boni lucentisque, & non obscurati Principis commoda esse.

18 Quod ea etiam tendunt, quæ de differentia boni & mali Principis jam suprâ (r) retulimus, & lata, & eleganti oratione Dion Prusæus (s) prosequitur, Bonos Reges Jovis actiones & operationes imitari debere inquiens, & appellationibus gloriari, quæ omnes ad salutarem subditorum gubernationem spectant: cum contrâ, qui secus se habent, eisdem æquè damnosi, ac vituperabiles sint, & inconsulti Phaëtonis calamitates populis inferant. Ad quod probandum, hæc Homeri carmina relatu digna, perpendit:

Qui crudelis & ipse est, & crudelia patrat  
Huic omnes homines vivos mala multa preecantur,  
Quin etiam infamant illum post funera cuncti.  
Et contra, quicumque est inculpabilis ipse,  
Inculpabilia atque patrat, famam istius amplam  
Multus terrigenas circumfert hospes ad omnes,  
Atque virum inde bonum dicunt, laudantque frequentes.

19 Extat quoque apud Florentium Schoonhovium (t) Emblema quoddam, quo, ex ejusdem Homeri Cyclope exemplum mutuatus, Regem sine prudentia Regni pestem esse, in lemmate ait, & his carminibus ornat,

Privatus charo Polyphemus lumine, nullo  
Consilio errantes jactat ubique manus:  
Haud aufer Reges, ratio quos nulla gubernat,  
Omnia perverso turbine semper agunt.



(n) Sup. Embl. 12.

(o) Job. 29. 7. Pined. 2. tom. pag. 529.

(p) Plutarc. in Moral.

(q) Ælian. de var. hist. lib. 14. cap. 11.

Q

(r) Sup. Embl. XXI. &amp; XXII.

(s) Dion Prusæus orat. 1. de Regno.

(t) Schoonh. Embl. 71.

EM-

EMBLEMA XXIV.  
DEUS QUOS ERIGIT, DIRIGIT.



*Erudit ingenuas Regnandi Juppiter artes.  
Murice conspicuos, quos propè stare vides.  
Scilicet indomitas Regni, qui flexit habenas,  
Regibus hic tantùm dogmata firma dabit.  
Discite Regnantes summi Documenta Magistri,  
Pergite quà monstrant Regibus Astra viam.*

COMMENTARIUS.

**I** Jamvis adeò difficilè & laboriosum Regum munus esse in superioribus dixerimus, non ideò tamen, quos Deus ad illud evexerit, animo cadere debent, sed quo maximè possint conari, se illo dignos efficere, quia ut benè monuit Sallustius (a): *Vigilando, agendo, benè consulendo omnia eveniunt.* Et, quod præcipuum est, cor, actionesque suas Deo reverenter submittere, qui peculiaribus semper donis, atque auxiliis hæc Magna culmina illustrat, & Principes quos erigit, dirigit; ubi ipsi ex se se obicem aliquem non opponunt. Verum enim est, quod vulgo jactatur.

*Nomen adest justis, & fortia facta secundat.*

**2** Et cum Principibus & Magistratibus loquens Sapiens (b), hoc ipsum admonuit, dum inquit: *Diligite justitiam qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent illum. Perversæ enim cogitationes separant à Deo: probata autem virtus corrigit insipientes: quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripitur à superveniente iniquitate, &c.*

**3** Adeoque pronus & liberalis in hac disciplina, cœlestibusque auxiliis Regibus communicandis, est Deus, ut David (c) (qui & ipse Rex, & quidem præstantissimus fuit) eosdem hortetur, ne rebelles sint lumini, ultro in illorum oculos, & animos incurrenti: *Apprehendite (inquiens) disciplinam, ne quando transeat Dominus, & pereatis de via justa.* Quasi tota Regis, & Regni salus in eo consistat, ut Rex à Deo instillatas accipiat salutare gubernandi rationes, quæ deinde à Rege in populum deriventur, juxta illud ejusdem Davidis (d): *Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.*

(a) Sallust. in Catil. in princ.  
(b) Sapient. cap. 1.

(c) Psalm. 2. 12.  
(d) Psalm. 102. 7.

Un-

**4** Unde & in Proverbiis (e) habetur: *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinavit illud;* Quo ut graves Auctores (f) exponunt, perinde est, ac si diceret, Docili, & Obedienti Regum cordi, Deum semper adsistere, & quocumque expediens fuerit, illud inclinare, Sapientiaque divina affluenter implere, quæ in bonum populi, sicut divisiones aquarum redundare debeat, & veluti fons quidam dulcis aquæ plenissimus, suorum subditorum animas irrigare, & ex illis herbescentem rerum omnium pulcherrimarum atque optimarum viriditatem elicere.

**5** Quo in se Salomon cumulativè expertus fuit; nam quia hoc cor docile à Deo summis precibus postulavit, & ejus de cœlo assistricem Sapientiam, in enixis illis, & repetitis ex totis præcordiis orationibus, quæ in Regum (g), & Sapientia libris reperiuntur, ita gratus Domino extitit, ut puer adhuc, infusam Sapientiam & intelligentiam, & Sancti Spiritus communicationem habere meruerit, qua dum in divina gratia perseveravit, omnes qui usquam fuerunt, futureque sunt mundi Reges excelluit, ut in eisdem libris (h) habetur, & latè Joannes Pineda (i) prosequitur.

**6** Et ad divinam hanc Regum directionem respiciens, sumptaque simul occasione ex nova illa & fulgida stella, quæ tres illos Magnos Sapientesque Reges ad adorandum Christum Dominum recens natum, in Bethlemiticum præsepè deduxit (k), Joannes Rex Gallia, hujus nominis Primus, ut Claudius Paradinus (l), Octavius Strada (m), & Sylvester Petra-Sancta (n) recensent pro Symbolo eandem Stellam desumpsisset, fulgentes radios in supra stantem Regiam Coronam vibrantem seu dirigentem, circumposito lemme, *Mostrant Regibus Astra viam*, Sydereorumque Equitum novum Ordinem instituit, idem ipsum symbolum pro insigni in galero gestantium, de quo etiam mentionem fecit Aubertus Miraus (o).

**7** Et ad hanc Stellam alludit illa alia, quam Regibus benè se gerentibus Divus Joannes (p) Dominum promittere inquit, in illis verbis: *Dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virga ferrea, & dabo illi stellam matutinam.* Necnon & alia Julio Cæsari à Virgilio (q) dicata, ob Cometem, qui se post ejus mortem ostendit:

*Ecce Dionei processit Cæsaris Astrum:  
Astrum quo segetes gauderent frugibus, & quo  
Duceret apricis in collibus urva colorem.*

Nosque in idem symbolum sic alibi lusimus:

*Æthere quàm nitidum sydus præfulget amœnum:  
Ignita certum cuspide semper adest:  
Quære Polum Princeps, dumque heres Astra reposce,  
Ipsa nec aufugiunt, en tibi sydus, age.*

Nec abest aliud Maximiliani Primi, Romanorum Imperatoris, ab eodem Strada (r) relatum, qui cor, in medio laureati circuli pinxit, cum hac inscriptione: *In manu Dei Regis est, ad locum Proverbiorum, cujus modo meminimus alludens, & qualiter illud dirigit, & quocumque voluerit, inclinet.*

**8** Nunc autem, his relictis, ne rem ab aliis actam, agere videamur, in eundem scopum, sed diverso Emblemate intendentes, hoc, quod vides, confingimus, ex Homeri (s) disciplina desumptum, quem *patrem totius eruditionis* Imperator Justinianus (t) appellat, qui gravissimè (ut omnia) Reges, & eos, qui latè dominantur, Dei immortalis discipulos, & velut ex ejus ludo ad rerum administrationem prodeuntes, facit, ut omnes intelligant, Principes, non tantùm vocati Dei, ad rerum publicarum gubernacula accedere: sed maximè omnium hominum ad curam, & providentiam maximi illius Numinis pertinere.

**9** Neque ignoro Petrum Costalium (u) eadem Icone in suis Pegmatis usum, sed in alium tamen finem, nempe quòd Deus proprius judicaverit, quos ad amplissimæ dignitatis gradum evexit, iis constantiæ, magnanimitatis, ceterarumque virtutum seminaria largiter conferre, ut ex subjectis ejusdem hisce versibus constat:

*Nescis in mentem magno quid venit Homero,  
Discipulos Reges, dum putat esse Jovis.  
An quòd eos nulli voluit virtute secundos,  
Quis sunt à summo credita Regno Deo.*

Q 2

Nos

(e) Proverb. 21. 1. Epist. inter claras, C. de sum. Trinit.

(f) Salazar. in Provid. d. cap. 1. Pined. de reb. Salom. cap. 6. num. 6. pag. 99.

(g) Reg. 3. 1. 9. Sapient. 8. & 9.

(h) Reg. 3. 13.

(i) Pined. in Salom. lib. 3. cap. 8. 9. & seq.

(k) Math. 2.

(l) Paradin. pag. 20.

(m) Strada in Symbol. pag. 37.

(n) Petr. Sancta pag. 395.

(o) Miraus de Ordin. Equestrib. pag. 129.

(p) D. Joan. Apoc. 2. 28.

(q) Virgil. Egiog. 9. v. 47.

(r) Sitad. pag. 18.

(s) Homer. in Iliad.

(t) Justin. in Proem. Digest. §. fin.

(u) Costal. in Peg. pag. 65.

10 Nos verò, licet hoc certum quoque esse agnoscamus, & cum dicto Cyri apud Plutarchum (x) convenire, qui neminem imperare debere dicebat, qui subditis suis melior, & virtute præstantior non esset, Homeri tamen sensum commodius ad divinam Regum instructionem, & directionem, de qua agimus, referendum esse censemus, cum Dione (y), & Themistio (z), qui idem senserunt, & hac de causa illos Jovis alumnos, congerrones, & confabulones appellent. Quod Achilles quoque Bochius (a) per Aquillam bicipitem Imperatori assistentem, & veluti ejusdem Jovis alitem, ei altero capite divinam, altero humanam mentem suggerentem, significavit, sub titulo, *Sapientia immortalis*; & de D. Carolo Nostro V. loquens, quod efficit, ut ejus carmina gratius referre, audireque debeamus, quæ ita habent:

*Imperio Augustus, pietate Augustior alma es,  
Major enim in te omni est Imperio Pietas.  
Quin etiam imperio Augustum, & te, Carole, vincis,  
Qui Regis arbitrio fataque, teque tuo.  
Quid sibi vult insigne biceps Jovis armiger ales?  
An quia dat duplex Jupiter Imperium?  
Inde animi humana, hinc mentis divina potestas,  
Qua tibi quæ fuerint, sintque futura, patent.  
Justitia hinc, animi & robur, prudentia, visque,  
Que docet humano qui sat in officio est.  
Talibus auspiciis duceris ad alta beatus.  
Sydera, fructurus neclare, & ambrosia.*

11 Et cum proposito à Nobis themate, aut lemmate mirè consonat illa alia ejusdem Homeri apud Plutarchum (b) animadversio, dum Minoem Cretensium Regem, Judicemque & Legislatorem valde severum, Jovis Oaristam, id est discipulum facit: *Non enim* (inquit Plutarchus) *privatos homines, otiososve, Deorum voluerunt esse discipulos, sed Reges, qui sapientiam, & virtutes animi consequuti, ea essent ad utilitatem omnium conversuri.* Idemque graviter exposuit Casiodorum (c), dum sub Theodorici nomine, Magnatem quemdam ad ejus aulam ac præsentiam evocans, sic concludit: *Desiderat enim aula nostra præsentiam bonorum: dum nescio quo pacto, quicquid Regali sapientiæ gratum esse cognoscitur, & divino judicio comprobatur; quia ille, qui corda nostra regit, ipse etiam quid debeamus sentire concedit.*

12 Quod, idem ipse Auctor (d), alibi ad eodem certum esse ostendit, ut etiam Regibus, adhuc pueris, hujusmodi præcocis Sapientiæ & intelligentiæ Divina auspiciis cælestis instillentur, sic enim inquit, cum Tolonico viro Patricio loquens, quem Athalaricus Rex in suum Consilium promoverat & vocaverat: *Licet ad Regendos populos idoneos efficiant, quos ad Augustum culmen divina provexerint, quando nec ætas impedit, ubi se se potentia cælestis infudit, &c.* quo loci videtur illud Ovidii (e) sequutus:

*Cesaribus virtus contigit ante diem  
Ingenium celeste suis velocius annis  
Surgit, &c.*

13 Quinimò, quod plus est, malis etiam & improbis Regibus cælestia hæc auxilia solet Deus interdum communicare, vel ob id tantum, quòd Regium occupent Solium, ut bene Eusebius (f) Norimbergius animadvertit, in id Isaie (g) locum expendens, quo de Cyro loquens, alioqui auri & cruoris avido, *Christum Domini* eum appellat, & dextram ejus apprehendisse inquit. Quod perinde est ac si diceret, amicè & fideliter eidem affuisse, & cælestibus afflatus beasse. Eaque propter debere Reges in suo munere gerendo circumspiciendos esse, bene monet Euphrades (h) orator, ab eodem Eusebio (i) relatus, quia cum eorum cor & animus in manu Dei, ut diximus, custodiatur, providendum est eis, quantum imminet periculi, si ad agendum aliquid, quod alienum sit à Deo ferantur, custodienteque se se Dei manu, tandem excidant, & occasionem præsentent, ut ipsorum vel in agendo, vel in loquendo errores atque peccata, in incorruptam illius manum inscribantur.

14 Idemque efficit, ipso eodem Eusebio monente, ut quilibet hominum Rector ac caput, rem Sacrosanctam putare se debeat, nec magis adorari, collique permittere, quam se coli, se suspicere, venerandum sibi. Tantumque credat excellere hominibus, quantum homines brutis. Artificem intelligat se communis boni, arbitrum felicitatis gentium, collegam fortunæ, spirantem divinitatis statuum, spiritum vitalem Reipublicæ, expressissimum & aureum simulacrum Numinis, Pro-

(x) Plutar. in Cyro.

(y) Dion Prus. orat. 1. &amp; 54.

(z) Themist. orat. 11.

(a) Aquil. Boch. Symbol. 21. pag. 46.

(b) Plut. in lib. ad Princ. in erud.

(c) Casiod. lib. 7. form. 34.

(d) Idem Casiod. lib. 8. epist. 9.

(e) Ovid. lib. 1. de Arte amand.

(f) Euseb. in Theop. part. 2. lib. 1. cap. 1. pag. 325

(g) Isaie 45.

(h) Euphrad. orat. 3.

(i) Euseb. sup. pag. 327. &amp; seq.

Prodeum & Vicarium Divinæ Providentiæ, excubias generis humani, Angelum singulorum, jam multis Angelis suo excellentem munere.

15 Philippus etiam Cominæus (k), satis prudens Scriptor, agnoscit quidem nullum esse Principem tam prudentem, qui non aliquando, imò sæpè numero, erret, & labatur, si longior ei via contingat, statim tamen addit, in remedium humanæ hujus fragilitatis: *Deum in primis interpellandum, atque rogandum, ut quod optimum est Novis suggerat. Nam ab eo cuncta dependent, ut & Scripturæ testimoniis, & ipso rerum usu doceri potest.*

16 Quibus adjicere possumus, non solum Consiliorum, rerumque agendarum directionem Divina largitate Regibus impertiri solere, verum ipsorum quoque vitam salutem, ac protectionem ab eodem Deo summè curari, illosque veluti peculiari sua tutela, clientellaque donare, ut ipse idem Homerus (l) aliis carminibus apertè docuit, dum inquit:

*Quin & Mulcibero fabros sacrare solemus,  
Milite Mars gaudet, celeri tunicata Diana  
Venatore; Lyra Phæbus, doctisque Poetis  
Ex Jove sunt Reges, quo nihil divinius usquam.*

17 Et fabulosis his deliriis relictis, Deus ipse (m) in persona Abrahami idem testatur, dicens: *Non timere Abraham, Ego Protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Et regius Psaltes (n), dum de se ipso loquens, hanc Protectionem variis in locis agnoscit, quibus plura alia addit Martinus Magerus (o), & miraculosa simul ejusdem exempla adducens Philippus Camer. (p) Inter quæ notandum est illud Maximi nostri Cæsaris ac Regis Caroli V. quem Italus quidam, Romæ, ex summitate, Panthei præcipitatem agere cogitavit, quod tamen, deterius majestate, & auctoritate Cæsarea, vel verius Deo ipsum Imperatorem custodiende, facere destitit.

18 Qui & idem, eadem protectione confissus, sæpè aliàs, tum maxime in bello Germanico ad Ingolstadtium (ut præter alios Justus Lipsius (q), & Famianus Strada (r) recensent) densissima glandium nube è perduellum castris ipsum circumvolitante, nec locum, nec statum, nec vultum mutavit. Quin potius momentibus illum amicis, ut sibi, atque omnibus in se parceret, dixit: *Considerent, neminem Imperatorem tormenti ictu periisse.*

19 Nec dissimilis fiducia in Alphonso I. Aragonum Rege, reperta fuit, Antonio Panormitano (s) testante, dum impavidè librum Titi Livii, sibi ad hoste missum, accepit, aperuit, evolvit, & attentè perlegit, Medicis licet, & aliis Aulicis, propter suspicionem latentis veneni, ne id faceret, instanter momentibus, illisque his verbis, quæ mirum in modum ad nostrum institutum respiciunt, respondens: *Regum quidem animas non privatorum libidini subjectas esse: sed sub Dei tutela, & cura Sacras, letasque agere.*

20 Quæ sanè verba similia illis Vespasiani Imperatoris videntur, qui imperterritus, gladius obtulit duobus clarissimi Ordinis viris, quorum se insidiis appeti certo certius cognoverant, & inter illos medius cedit, tamquam provocans ad id quod moliebantur. Illis autem percussis, & animi præsentiam admirantibus: *Videtur ne* (inquit, ut Erasmus (t) tradit) *Principatum fato dari, frustra que tentari facinus, potiundi spe vel amittendi metu.*

21 Neque aliud sensisse videtur Domitianus (u) (alioqui pessimus Imperator) dum Suetonio testante, Jovi custodi templum ingens, seque in sinu Dei sacravit, quod ipsum in seditione Vitelliana à furore hostium conservasset. Quod templum summi posse pro symbolo ad significandum, *Auxilium divinum*, tradit Nicolaus Causinus (x), subjiciens, omnes quotquot sunt mortales, sed maxime Reges, in sinu Dei Parentis jacere, cujus providentiæ servantur, & locum præclarum Ecphantis (y) ad idem probandum adducens, cujus verba sic habent: *In terra optimum sanè ingenium præ ceteris animantibus hominis datum est. Divinior autem inter homines Rex est, ut qui multum supra communem naturam emineat. Corpore reliquis non dissimilis, utpotè natus ex eadem materia; sed ab optimo Artifice factus, qui fabricavit ipsum, archetypo ex se sumpto. Idcirco peculiari cura Reges, quasi Patres populi protegit.*

22 Imò & eisdem, ob hanc causam, duplicem Angelum custodem assignari, vel, ut alii (z) volunt, tot, quot sunt Regna, vel Provinciæ sibi commissæ, Divus Thomas (a), post alios plures ex sanctis Patribus docet. In quibus recensendis immorarer, nisi jam hoc Christophorus Bessoldus (b), Simon Majolus (c), Martinus Magerus (d), Camerarius (e), & Alii, diligenter præstitissent, qui, ubi opus fuerit, consuli poterunt.

EM-

(k) Cominæus lib. 8. pag. mibi 563.

(l) Homeri Iliad. 1.

(m) Genes. 15. 1.

(n) David. Psalm. 26. 2. 32. 20. 58. 6. 70. 7.

(o) Mager. de jure protecl. cap. 3. ex num. 6.

(p) Camer. 1. subcis. cap. 30.

(q) Lips. in exemplis Politic. cap. 7.

(r) Strada lib. 1. de bell. Belg.

(s) Panorm. de dict. &amp; fact. Regis Alfons. I. lib. 1.

(t) Erasmus. in Apoph. lib. 8.

(u) Sueton. in Domit. cap.

(x) Causin. in Polyst. Symb. lib. 2. cap. 47. pag. 97.

(y) Ecphantis in lib. de Regn.

(z) Daniel. cap. 10. ubi omnes Patres.

(a) D. Thom. 1. part. quart. 113. art. 8. latè Becan.

(b) Bessold. in disert. de Ang. Imp.

(c) Majol. colloq. de Angel.

(d) Mager. d. cap. 3. num. 16.

(e) Camerar. 3. subcis. cap. 13.